



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||  
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,  
Locis,|| Liber Vnvs.||**

**Thyraeus, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

**VD16 T 1247**

Cap. LXXVI. An & quomodo salutari Missæ sacrificio iuventur Spiritus  
purgandorum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

Quod, & quomodo Missæ sacrificium iuuet piè defunctorum Spiritus, qui post mortem viuentium subsidia postulant.

1. **A**lium subsidium, quo à purgandorum Spirituum molestia viuentes, & ipsi à tormentis liberantur, *sacrosanctum altaris est Sacrificium*, de quo sic post alios, concilium Tridentinum, Cap. 6. Sess. 22. *Si quis dixerit Missæ Sacrificium esse tantum laudis, & gratiarum actionis; aut nudam commemorationem Sacrificij in Cruce peracti; non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumentibus; neque pro viuibus & defunctis; pro peccatis, pœnis satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debeat; anathema sit.*

2. Hoc grauissimos insultus sustinet à veteris religionis hostibus. Sed tantò constantius tenetur & defenditur à Catholicis; quantò maioribus præliis munitum est. Nullum hîc eorum desideratur, quæ pro se habet. Oratio; de qua præcedenti Capite.

3. Primùm hic est omnium, qui nunc sunt, Catholicorum consensus; non tam verbis, quàm rebus ipsis confirmatus. Nullum Missæ Sacrificium peragitur, in quo non defunctorum fiat commemoratio. Sunt præterea Missæ pro defunctis, vt vocamus; partim anniuersaria, partim quæ primo, septimo, atque trigesimo depositionis die celebrantur, &c.

4. Consensum hunc confirmant exempla Maiorum. Pro anima fratris Saturi Sacrificium obtulit B. Ambrosius. quemadmodum ex Oratione funebri constat, quam in obitu eiusdem habuit. Pro matre B. Augustini idem Sacrificium fuisse oblatum, idem testatur Augustinus lib. 9. Confessionum. Sic D. Bernardus, cum Verduini in Gallia ægeret, Sacrificium altaris obtulit pro Episcopo Ostiensi recens defuncto. vt patet cap. 4. libro 4. Vitæ eius. S. Gallus Abbas pro Columbaño, capite 23. eius vitæ. Pro Gallo Ioannes Episcopus Constantiensis; in eiusdem Galli vita, capite 29. S. Seuerus Rauennensis Episcopus pro Geminiano Præsule; in vita ipsius apud Surium Tomo 1. Anselmus pro anima O. berti, qui alieniori animò aliquando ab ipso fuerat; in vita ipsius ab E. diuero Anglo conscripta. apud Surium, Tomo 2. Præterea Hugo Episcopus Gratianopolitanus diem obitus patris atque matris dicitur celebrem fecisse.

brem fecisse tremendo Sacrificio, quod pro ipsorum salute offerebat, quemadmodum testatur Guigo V. Prior primæ Carthuliæ, dum vitæ ipsius describit cursum. Et Vdalricus Episcopus Augustanus, Acúm delbertum in prælio intellexisset occubuisse, primum quidē corpus Augustam defert, & honestæ sepulturæ mandat; mox deinde Spiritum per *sacra immolationis hostiam* Deo rogat esse commendatum. Ita Bernardus Agiensis in ipsius vita. qui eundem, Romæ aliquando agentem, cū nondum Episcopus esset, testatur Senioris animam Deo inter *sacra orationum libamina* commendasse. Et Episcopus Herbipolensis Embrichus, quemadmodum in vita dilexit Babonem Bambergensem Episcopum, ita mortuum egregiis Christianæ pietatis officiis prosecutus est. Humeros funeri subiecit: pro anima defuncti publicè *Missa Sacrificium* obtulit: & cathedram conscendens ad præsentem maximo numero auditores, egregiam habuit orationem funebrem. Vide vitam Babonis apud Surium, Tomo 4. Refert quoque Venerabilis Beda libro 3. Hist. angl. de gestis Regis Osvaldi, fratres Ecclesiæ Hagulstaldensis singulis annis, pridie quàm Rex Osvaldus fuit occisus, conuenire solitos, ad locum; vbi Crucē aliquando orationis causa erexerat: ibiq; preces p. salute animæ ipsius, & *victimam sacra Oblationis offerre*. Habent hic locum desideria viuorum, qui pro se defunctis idem *Missa sacrificium* offerre esflagitarunt: vt sunt Ephrem Syrus in suo Testamento: Venerabilis Beda in prælatione vitæ S. Cuthberti, Episcopi Lindisfarnensis. apud Surium Tomo 2. Margareta regina Scotiæ; in eius vita apud Surium, & alij quam plurimi. Et ne pluribus recensendis molesti simus, vnica oratione Beati Augustini concludimus, qui sermone trigesimo quarto de verbis Apostoli, *docet Ecclesiam vniuersam, pro defunctis, in sacrificio Missa orare solere*. Nec est, quod de sancti Doctoris testimonio dubitemus. Extant Iacobi, & Clementis, aliorumq; Liturgiæ, quæ hanc rem egregiè confirmant. Extant Concilia omnium Prouinciarum, quæ *Sacrificij* pro defunctis meminerunt. Vide caput 82

In veteri lege, *hoc Sacrificio*, defunctorum animæ adiutæ non fuerunt. Nec mirum. Nouæ, non veteris legis est *sacrificium*. Sed tamen *sacrificiorum* virtutē animæ non fuerunt destitutæ. Illa ipsa *Sacrificia* veteris legis ipsis præfuerūt, quemadmodū probat *Sacrificiū*, quod pro interfectis in bello obtulit Dux Iudas Machabeus, 2. Mach. 12. ex quo etiam B. August. libro de Cura pro mortuis, cap. 1. probat nostrum mortuis prodesse.

Ll 2

Cūm

Cum exemplis consentit veteris Ecclesie doctrina. Grauis-  
sima est oratio B. Chrysostomi, hom. 69. ad Pop. *non temere*, inquit,  
*hæc ab Apostolis sancita fuerunt; vt in tremendis mysterijs defunctorum a-*  
*gatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum coningere lucrum,*  
*multam vilitatem. In eandem sententiam loquitur B. Augustinus,*  
*de Verbis Apostoli, Serm. 32. Hoc, inquit, à Patribus traditum vniuer-*  
*sa obseruat Ecclesia vt pro ijs, qui corporis & sanguinis Christi commu-*  
*ne defuncti sunt, cum ad ipsum Sacrificium suo loco commemorantur, ore-*  
*tur ac pro illis quoque id offerri commemoretur.*

6. Sed & Sacrificij huius dignitas magnum hæc præbet argumen-  
tum. Neque enim duodecim tantum talenta argenti à Iuda Macha-  
bæo offeruntur; sed infinitus gratiarum omnium thesaurus; vide-  
licet vnigenitus Dei filius; idque per Ecclesiam, cuius charitas &  
deuotio Deo gratissima; vel per ipsum, verius, vnigenitum Dei  
filium. Idem enim hic offerens & res oblata; & eadem quoque ob-  
latio. Qui enim semel pro peccatis Deo se obtulit, nunquam se of-  
ferre desistit, quamuis vnà cum ipso, ipsa quoque Ecclesia per suos  
ministros ipsum offerat, suasque preces & vota cum hoc Sacrificio  
7. coniungat.

Hinc quoque est, vt Sacrificium hoc pro defunctis oblatum  
vires magnas habuerit, quamuis reuera defuncti non essent, pro  
quibus offerretur. Id insigni exempli ostendit Ioannes Eleemosy-  
narius, Episcopus Alexandrinus, quemadmodum in vita eius do-  
cet Leontius Neapoleos Episcopus. *A Persis quidam abductus cap-*  
*tivus, aiebat, in custodia, que appellatur Lethe, asservabatur vinctus. Lex*  
*autem erat apud Persas, vt qui coniecti essent in eam, custodiam, nunquam*  
*reuocarentur (& ea ratione consentaneum est, eam fuisse vocatam Lethen,*  
*2. obliuionem). Illinc autem cum quidam affugissent, & in Cyprum venis-*  
*sent; affu marunt parentibus adolescentis, eum in custodia mortuum esse. Illi*  
*igitur tres, quotannis Synaxes celebrabant, tanquam eo mortuo. Quatuor*  
*anni præterierant: & ecce filius illinc aufugiens, redit domum. Quem cum*  
*parentes non tanquam qui fugisset è custodia, sed tanquam qui surrexisset*  
*è mortuis cum magno stupore aspexissent; & fuissent ineffabili voluptate*  
*repleti reuerunt, quemadmodum ei mortuo, que sunt mortuis, fecerint,*  
*Iusta; indicantes quoque dies sanctorum Epiphaniarum, sicut aris Pascha &*  
*sancta Pentecostes, quibus eade per fecerunt. Hac cum ille audisset, et in me-*

moriam reuocasset: parentibus affirmabat, quod his ipsis diebus fuerit relaxatus à vinculis, aduentu cuiusdam, qui gestabat lampadem, & omni securitate perfundus: diebus autem sequentibus rursus vinculis, sicut prius, confectus. Hæc Leontius. Simile exemplum apud Gregorium Magnum homilia 37. in Euangelia est videre. Affert quoque pro eodem argumento aliud non minus prodigiosum, Venerabilis Beda libro 4. Hist. Angl. capite 20. quod ipsius verbis referimus. In præsato, inquit, prælio, quo occisus est Rex Elbuius, memorabile quoddam factum esse constat, quod nequaquam silentio prætereundum arbitror; sed multorum saluti, si referatur, fore proficuum. Occisus est ibi inter alios de militia eius iuuenis, vocabulo imma. Qui cum die illo, & nocte sequente, inter caduera occisorum, similis mortuo, iaceret: tandem recepto spiritu reuixit, ac residens sua vulnera, ut potuit, ipse alligauit. Quod dum faceret, inuentus est, & captus à viri hostilis exercitus, & ad Dominum ipsorum, Comitem videlicet Edlredi Regis adductus. Ille suscipiens eum, curam vulneribus egit. Et ubi sanari cœpit, noctu eum, ne aufugeret, vinciri præcepit. Nec tamen vinciri potuit. Nam mox, ut abiēre, quō vincierant; eadem sunt eius vincula soluta. Habebat enim germanum fratrem, cui nomen erat turna, presbyterum & Abbatem: quō cum eum in pugna peremptum audisset, venit querere, si fortē corpus eius inueniri posset, inuentumquē alium, illi per omnia similitimum, putauit ipsum esse, quem ad Monasterium suum deferens, honorificē sepeliuit: & pro absolutione animæ eius, sæpe Missas facere curauit: quarum celebratione factum est, quod dixi, ut nullus eum vincire posset, quin continuō solueretur. Interea Comes, qui eum tenebat, mirari & interrogare cœpit: quare ligari non posset: an fortē literas solutorias, de quibus fabula ferunt, apud se haberet, propter quas ligari non posset. At ille respondit. Nihil secretarum artium nosse: sed habeo fratrem, inquit, presbyterum in mea Prouincia: & scio, quia ille, me interfectum putans, pro me Missas celebras facit: & si nunc in alia vita essem, ibi anima mea per intercessionem eius solueretur à pœnis. Multi itaque accensi sunt in fide ac deuotione pietatis ad orandum, vel elemosynas faciendas; & offerendas Domino vitimas sacre Oblationis, pro ereptione suorum, qui de seculo migrauerant. Intellexerunt enim, quōd Sacrificium salutare ad redemptionem valeret, & animæ & corporis sempiternam.

Beda

Beda. Tertium refert ex Petro Cluniacensi Thomas Bozius lib. 15. cap. 2. de Notis Ecclesiæ. Et hoc Petri Cluniacensis verbis ascribimus: Est in Gratianopolitano Episcopatu locus in venis subterraneis, plurimum ferri habens; quod multo incolarum & rusticorum sudore assidue eruitur, ac fossaibus coctum & expurgatum per circumiacentes terras fabricis ferrarijs, vel quibuslibet, pro lucro venditur. Inde & villa, quam iidem homines iuxta incolunt, Ferraria nuncupatur. Solent autem huiusmodi homines, dum terra abdit a fodeo per scrutantur, spe maioris lucri longius procedere, & per subterraneos specus pertinaciter maiorem ferri materiam perscrutari. Huic operi, dum quodam tempore quidam rusticus indefessus instaret; & intima terra fodiendo longius procederet, repente maxima moles terra delapsa, aditum, per quem ingressus fuerat, obrutavit. Quia tamen fodiendo longius processerat; ac multum post se spatium exhausta terra inane reliquerat, mortem evasit; & velut in domo clausus, a validis munitionibus undique circumseptus, egredi quidem non potuit, incolumis tamen permansit. Sed tenebræ tam tenebrosæ, ac cæcis circumseptus, spe omni evadendi sublata, ac velut in amplo sepulchro sepultus, mortem ipsam adhuc vivens, iam se cernere existimabat. Hunc iam per aliquot dies non apparentem vxor sua mortuum credens, ad animam eius spiritualibus beneficij adiuvandam conuersa est. Vnde per annum integrum omni hebdomada vnâ ei Missam à Sacerdotibus celebrari faciens; & pro eo Panem, & Candelam offerens, salutari sacramento, vi mos est Ecclesiæ, animæ defuncti mariti subuenire satagebat. Vna tamen, anni, hebdomada exstitit, qua mulier, alijs intenta negotijs, Missam, vt proposuerat, marito providere neglexit. Ecce verò totius anni penè emenso spatio, rursus fossores, metalli officio assueti, irrequieti instantes ad locum, in quo iam dictus rusticus adhuc vivens latebat, paulatim fodiendo perueniunt. Quorum dum voces, & malleorum sonitus iam appropinquantium rusticus inclusus audisset; quantis potuit visibus vociferari cepit. Cuius illi vocem audientes, & (vix arte illius periti) hominis subterranei esse cognoscentes; sese inuicem cohortati sunt: & ad eum tandem, post multum fossionis laborem peruenerunt. Quem accensis luminibus curiosè circumspicientes; illum esse, quem anno iam præterito ibidem obrutum esse sciebant, agnouerunt. Admirati & vi parerant, tanta rei nouitate stupefacti, quomodo illic viuere potuisset, instantissimè inquirebant. At ille respondit; Iste, quem modo remouistis, terra obice foraminis per quod intraueram, obiecto; cum hoc carcere, quem videtis, retentus fuisset, atque aliquantis diebus sine cibo & lumine permansissem; subito mihi iam pene deficiente cum Pane simul, & lumine quidam astiuit; qui me confortatus, & ad cibum capiendum admonens, tetras tenebras illa Candela, quam ferebat, clarissimè illustrabat. Eo Pane, per spatium septem aut octo dierum

dierum (vt mihi videbatur) refectus, totidem diebus illa Candela illustra-  
 tus, & famis periculum euadebam; & huius fosse tenebras euitabam. Post  
 septem dies uero uel octo, rursus ille, qui prius cum recenti Pane, & renoua-  
 to Lumine adueniebat, eaq; mihi dimittens recedebat. Hoc per vnus (vt mi-  
 hi videbatur) anni excursus, a quo pene temporis interuallo nunquam fa-  
 cere destitit: excepto vnus hebdomadae spatio, quo mihi praesentiam suam,  
 munusq; solitum, nescio quae causa subtraxit. Hoc illi ab eo audientes;  
 & quod pro illo uxor eius, per totum illum annum fecerat, in memo-riam re-  
 uocantes, cuncta ei protinus exposuerunt: deinde hominem de cauernis illis  
 subterraneis educentes, uoxi propriae vicinis omnibus & populo ad tantum  
 spectaculum concurrenti, mirum dictu, post annuam sepulturam, in columem  
 reddiderunt. Qui simul congregati, & quod pro eo mulier fecerat, & quod  
 ille de se narrabat, examinantes, eisdem diebus Panem, quo reficiebatur, &  
 Candelam, qua illustrabatur, & in illo specu oblata fuisse inuenerunt, qui-  
 bus mulier pro eius reque, & Missam celebrari faciebat, & sacerdoti mis-  
 sam celebranti Panem simul & Candelam offererat. Haec Cluniacensis  
 & ex Cluniacensi, Bozins.

Sunt & hic exempla illorum, qui Missae Sacrificio adiuti fuerunt.  
 Produximus primo capite hominem quendam, pro quo verissi-  
 mile est salutarem hostiam esse oblata, qui, vt B. Gregorij ver-  
 bis utar (lib. 4. Dialog. cap. 39) reuersus ad balneum eum minime in-  
 uenit. Huic addimus, quod in vita B. Anselmi legitur, ipsum inte-  
 gro anno instituisse Sacrificijs quotidianis, pro amico defuncto; qui  
 tandem apprensus se Sancti precibus adiutum esse testatus est. Ter-  
 tium ex B. Gregorij lib. 4. Dialogor. cap. 54. licet adiungere, Ius-  
 titie 30. diebus continuis Sacrificium altaris offerri pro Iusto Mo-  
 nacho, & hic postea apprensus euidam eiusdem professionis homi-  
 ni, illud sibi profuisse ad libertatem a poenis, est testatus. Quar-  
 tum praebet S. Bernardus, qui & ipse pro quodam ex suis, quem  
 cognouerit in alia vita expiari, Sacrificium altaris obtulit, & vt alij  
 offerrent praecipit: eundemque post aliquot dies a poenis purga-  
 toris intellexit esse absolutum. Ita in vita eius, lib. 1. cap. 10. V Vil-  
 helmus Abbas. Quintum suppeditat Malachias Hyberniae Episco-  
 pus, qui cum in somno percepisset per dies quadraginta sororem  
 defunctam nihil gustasse, intellexit cuius esca inedia laboraret: &  
 diligenter discusso numero, cognouit illo triginta dierum spatio  
 se pro sorore non obtulisse hostiam altaris incruentam. Repetit igitur  
 sacrificia, & post uisa est eidem soror in pulla veste solum per-  
 uenire ad limen Ecclesiae, nec ulterius esse. Intelligit ergo vir  
 sanctus, necdum pro defuncta satisfactum. Rursus igitur priori-  
 bus


bus pietatis exercitiis insistit & post illa rursus apparet furor; sed iam in candida veste, & in Ecclesiam introire. Quia tamen altare prohibebatur accedere; necdum sibi iudicabat à Sacrificio cessandum. Quid ergo? Reuertitur ad eadem officia iam quarto; & ab omni cognouit pœna sororem tandem liberatam; postquam eandem cœtui Sanctorum vidit associatam: Bernardus hæc in vita Malachiæ. Pluribus opus non est. *Nisi Catholica Ecclesia*, inquit Ildorus lib. 1. de Officiis, cap. 18 *crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum Spiritibus vel Eleemosynam faceret, vel Deo Sacrificium offerret.*

IO. Ex dictis manifestum est, *non frustra hoc Sacrificium pro defunctis peragi.* Verùm hoc non de illo tantum dictum volumus; quod à Sacerdotibus, integræ & probatæ vitæ perficitur; verùm etiam illis, quorum mores minus probantur. Non officit hic Ministrorum indignitas: propterea, quod principale agens in *Sacrificio hoc Deus sit, aut Ecclesia; ipsumque Sacrificium ex opere operato, ut in scholis loquimur, suum habeat valorem.*

M. Sed tamen ut hoc certum: ita certum dignitatem Ministri hic plurimum valere: & efficere, ut quod ex se, & opere operato meritorium est, & satisfactorium; etiam ratione personæ offerentis, & ministrantis fiat meritorium & satisfactorium.

## CAP. LXXVII.

*Qua ratione Eleemosyna liberant à molestijs,  
quas purgandi Spiritus quandoque  
afferunt.*

1.  *V*am rationem tenuimus, ut probaremus piè defunctorum Spiritus iuari oratione, & saluari sacrificio; eandem in *Eleemosyna*, pro hac re, virtute demonstranda sequimur.

2. Pro ipsa est primùm Catholicorum consensus. Videmus plerumque, si quando pinguioris fortunæ homines ex hac vita discedunt, mox largas à defunctorum amicis, pro defunctorum salute, fieri *Eleemosynas*; easdemque repeti primo, tertio, septimo, trigesimo, atque anniuersario depositionis die. Sed & ipsi defuncti, antequam ex hac vita discedant, illud (Lucæ 16) *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis &c.* ad se putant pertinere; & ob id pau, erum haud postremam in extremis habent curam.

*Est se.*